

ex eo plura mala hominibus proueniunt FERVENS ARDET. (27) HEU  
 QUIS FUIT ILLE QUI PRIMUS FODIT PONDERA AURI TECTI ET GEMMAS  
 LATERE VOLENTES ? quia naturaliter in latenti gignuntur. PONDERA  
 AURI ET GEMMAS dico PRECIOSA PERICULA quia multi propter eorum  
 preciositatem incurrunt pericula.

## [II p 6]

QUID AUTEM prosa sexta. Postquam ostendit Philosophia  
 diuicias non esse magnopere appetendas tamquam<sup>2</sup> hominis bonum,  
 hic<sup>3</sup> ostendit idem de potestate et dignitate. Et circa hoc duo  
 facit. Primo enim suum intentum declarat secundo quoddam<sup>4</sup> dictum  
 per exemplum manifestat metro sexto ibi NOVIMUS QUANTUS. Circa  
 primum tria<sup>5</sup> facit. Primo probat intentum suum de potestate et  
 dignitate simul, secundo de potestate per se ibi (13) QUE VERO  
 EST, tercio iterum simul de potestate et dignitate ibi (40) AD  
 HOC SI IPSIS. Circa primum ponit rationem que sic formari potest:  
 illud non est in se bonum nec magnopere appetendum quod malos  
 peiores efficit et bonis bonitatem non adicit. Sed huiusmodi  
 sunt potestates et dignitates, ergo etc. Dicit igitur (1) QUID  
 AUTEM DISSERAM DE DIGNITATIBUS ET POTESTATIBUS quasi diceret

QUANTAS

---

1. non non esse J / 2. tanquam O unquam RJP / 3. hic RPO hoc J /  
 4. quoddam RP quidem JO / 5. tria JR duo PO /

satis probauit diuicias<sup>6</sup> non esse appetendas sed QUID DISSERAM<sup>7</sup> DE  
 DIGNITATIBUS ET POTESTATIBUS quasi diceret nichil aliud quam de  
 diuiciis (2) QUE id est quas dignitates uel potestates VOS INSCII  
 VERE POTESTATIS AC DIGNITATIS CELO EXEQUATIS id est summum bonum  
 reputatis. Nota quod uera dignitas est sapientia et uirtus. Vera  
 potencia est<sup>8</sup> non superari<sup>8</sup> aliqua aduersitate uel uicio. Sed  
 insipientes hoc ignorantes in temporalibus potestates et dignitates  
 querunt. (3) QUE scilicet dignitates et potestates SI IN  
 IMPROBISSIMUM<sup>9</sup> id est uiciosissimum QUEMQUE CECIDERUNT, QUE INCENDIA  
 ERUCTUANTIBUS FLAMMIS ETHNE VEL QUOD DILUUIUM DEDERINT TANTAS  
 STRAGES quasi diceret plura mala proueniunt ex hoc, quod mali  
 assequuntur dignitates<sup>10</sup> uel potestates,<sup>10</sup> quam ex conflagratione  
 ignis Ethne uel inundacione alicuius diluuii, quibus nonnumquam<sup>11</sup>  
 euertuntur ciuitates et destruuntur regiones, sicut docetur in  
 primo Thimei<sup>12</sup> Platonis. Mali enim potestate et dignitate<sup>13</sup>  
 abutuntur in superbiam subiectos iugo seruitutis opprimendo pro  
 quo excusando mouentur bella per que humanum genus plus destruitur

a 22C

-----  
 6 diuicias RPO om. J / 7 disseram RP diceram Q deseram J /  
 8 est non superari RPO est que non poterunt superari J / 9 in  
 improbiissimum M improbiissimum RPPeGJOD / 10 dignitates uel potestates  
RPO dignitates J / 11 nonnumquam PO non unquam RJ / 12 thimei P  
 thymei Q ethim' R thimiey J / 13 et dignitate RPO dignitate J /

quam talibus conflagrationibus uel diluuis particularibus. Propter quod Romani, ut liberiorem uitam ducerent, potestatem et dignitatem principum suorum diminuere curauerunt, ut simul cum hoc diminueretur eorum malicia. Et hoc est quod dicit (5) CERTE, UTI ARBITROR TE MEMINISSE, VESTRI VETERES id est antiquiores Romani CUPIERUNT ABOLERE non dicit aboluerunt quia licet ad tempus abolitum fuisset tamen cito renouatum et restitutum fuit (6) CONSULARE IMPERIUM OB SUPERBIAM CONSULUM QUOD scilicet imperium consulare PRINCIPIUM LIBERTATIS FUIT quia liberius uiuebant sub consulibus quam sub regibus unde subdit (8) QUI scilicet ueteres Romani ABSTULERANT<sup>14</sup> PRIUS DE CIVITATE NOMEN REGUM OB EANDEM SUPERBIAM. Sicut enim ex annalibus Romanorum patet, ciuitas Romana sub regibus erat a tempore Romuli sui conditoris usque ad Tarquinium Superbum qui septimus erat a Romulo. Hic autem primus tormenta excogitauit et adinuenit,<sup>15</sup> cuius filius Tarquinius nobilem mulierem Lucreciam<sup>16</sup> oppressit, pro quo scelere Romani patrem eius de regno expulerunt. Ac deinde consules esse ceperunt<sup>17</sup> qui a Bruto inceperunt, qui bini erant et annum imperium habebant. Quinto uero anno post expulsos reges, ut dicit Isidorus Ethymologiarum libro nono capitulo de regis<sup>18</sup> malicieque uocabulis<sup>b</sup>

l. IX. iii. 1

14 abstulerant JO abstulerunt RP / 15 adinuenit RPO aduenit J /  
 16 Lucreciam J / 17 cepe rūt J / 18 regis RPO regibus J /

2  
 Cf. Paul. Diac. Hist. Rom. I. c. 1 et s.

creauerunt<sup>19</sup> sibi Romani dictatores qui quinquennis temporis imperio utebantur et hii supra consules erant. Sexto decimo uero anno post exactos reges sedicionem populus fecit cumque a senatu consulibusque opprimeretur ipse sibi tribunos plebis quasi proprios iudices et defensores creauit per quos contra senatum et consules tutus esse posset. Anno autem ab urbe condita trigesima<sup>o</sup> imperium consulare cessauit et pro duobus consulibus decem facti sunt qui summam potestatem haberent at decemuiri appellati sunt. Sed, cum primo anno bene egissent, secundo anno quidam ex hiis Appius Claudius<sup>20</sup> uirginem filiam cuiusdam qui<sup>21</sup> honestis stipendiis contra Latinos in monte Algido dimicarat corrumpere uoluit. Quam pater occidit, ne stuprum a decemuiro sustineret, et egressus<sup>22</sup> ad milites mouit tumultum sublataque est decemuiris potestas. Anno uero ab urbe condita 365 pro consulibus instituti sunt tribuni militares<sup>23</sup> sed non diu perseuerauerunt sed post quadriennium iterum facti sunt consules. Que dignitas<sup>24</sup> durauit usque ad Iulium Cesarem. Ista patent<sup>25</sup> ex historia scripta ab Eutropio et Paulo Diacono que sic incipit:

a- II iii      & Paul. D. Hist. Rom., I c. 1 (Cavallucci p. 5)

19 creauerunt JO curauerunt R certauerunt P / 20 Appius claudius PeGOMD appius RPJ / 21 cuiusdam qui RPO cuiusdam militis qui J / 22 et egressus RPO egressus J / 23 militares RPO militaris J / 24 que dignitas RPO dignitas J / 25 patent RO patet PJ /

"Primus in Italia." Omnis autem hec mutacio ad tollendum insolenciam regencium et fastum dominancium fuit. Et sic patet quod dignitas et potestas malos efficit peiores. Quod autem bonis bonitatem non adiciat probat dicens (9) AT pro sed SI DEFERANTUR PROBIS scilicet dignitates et potestates QUANDO id est aliquando QUID ALIUD IN EIS PLACET QUAM PROBITAS UTENTIUM quasi diceret nichil. Ita fit<sup>26</sup> ut non ex dignitate accedat honor uirtutibus sed dignitatibus ex uirtute honor accedat et ita dignitates et potestates bonis nichil boni adiciunt. Deinde cum dicit (13) QUID<sup>27</sup> VERO EST probat specialiter de potestate quod non est multum appetenda. Et ponit duas rationes, secundam ibi (32) QUID AUTEM EST. Prima ratio talis est. Illa potestas non est multum appetenda que non est respectu alicuius magne rei<sup>28</sup> et fortis sed tantum respectu alicuius fragilis et imbecillis. Sed potestas temporalis est huiusmodi quia non potest per eam aliquis super animum sed tantum super corpus et ea que corpore inferiora sunt. Humano autem corpore nichil imbecillius, ergo etc. Dicit ergo (13) QUE scilicet cuius ualoris EST ISTA POTENCIA EXPECTABILIS scilicet desiderabilis AC PRECLARA ? Ironia est quasi diceret nullius ualoris. (14) NONNE O TERRENA ANIMALIA id est homines dediti terrenis CONSIDERATIS QUIBUS PRESIDERE VIDEAMINI ? quia

---

-----  
 26 fit RPO sit J / 27 quid RMO qui PPeG que J / 28 magne rei RPO  
 rei magne J /

om.  
 quod  
 PERMANENT  
 EST

J.C.

tantum corporibus hominum, que utique presidencia si bene consideretur<sup>29</sup> a ratione derisibilis est. Quod probat per simile<sup>30</sup> (16) NUM SI INTER MURES UNUM ALIQUEM VIDERES IUS SIBI AC POTESTATEM PRE CETERIS VENDICANTEM,<sup>31</sup> QUANTO CACHINO MOVERERIS ? quia derisibilis esset et talis est potestas ista terrena que non nisi ad corpus se extendit. Unde dicit (18) QUID VERO, SI SPECTES CORPUS, IMBECILLIUS HOMINE REPERIRE QUEAS ? quasi diceret non,<sup>32</sup> quod patet ex hoc quod subiungit (19) QUOS scilicet homines SEPE MORSUS MUSCULARUM<sup>33</sup> id est minutorum uermium VEL INTROITUS QUOQUE REPTANCIUM id est serpencium IN SECRETA NECAT. Potest hoc cum precedenti legi interrogatiue et melius quam si distinguatur et deprimatur. (21) QUO VERO id est quomodo QUISQUAM POSSIT EXERCERE IUS ALIQUOD scilicet potestatis IN QUEMPIAM NISI IN SOLUM CORPUS ET QUOD INFRA CORPUS et exponens quid dicit INFRA CORPUS addit FORTUNAM id est bona Fortune LOQUOR ? quasi diceret nullo modo. Unde subdit (24) NUM<sup>34</sup> LIBERO IMPERABIS ANIMO ? scilicet per huiusmodi potestatem: quasi diceret non (25) NUM MENTEM COHERENTEM SIBI RACIONE FIRMA A STATU PROPRIE QUIETIS AMOVEBIS ? quasi diceret non. Quod probat exemplo cuiusdam philosophi qui nullis tormentis potuit ad hoc compelli ut faceret illud quod ratio mentis

---

-----  
 29 consideretur JROMD considerentur PPeG / 30 simile Q sill'e R  
 simile ratione P similem J / 31 <sup>u</sup>yendicantem RJ <sup>u</sup>yendicare JO /  
 32 non RPO nichil J / 33 muscularum R / 34 num PO non R non num J /

muscularum OJP /

iudicauit non esse faciendum. Unde dicit (26) CUM TYRANNUS scilicet quidam<sup>35</sup> PUTARET SE ADACTURUM id est compulsurum SUPPLICIIS VIRUM QUENDAM LIBERUM scilicet animo UT PRODERET CONSCIOS CONIURACIONIS FACTE CONTRA SE, ILLE scilicet liber LINGUAM MOMORDIT ATQUE ABSCIDIT ATQUE IN OS<sup>36</sup> id est in faciem TYRANNI<sup>37</sup> SEVIENTIS ABIECIT ut scilicet sic frustraret<sup>38</sup> spem tyranni; qui ablata<sup>39</sup> lingua non posset prodere<sup>40</sup> si uellet (30) ITAQUE CRUCIATUS QUOS TYRANNUS PUTABAT MATERIAM CRUELITATIS VIR SAPIENS FECIT ESSE VIRTUTIS scilicet materiam quia pro uirtute ei reputatum est. Secundam rationem ponit cum dicit (32) QUID AUTEM EST que talis est: illa potestas non est uere potestas nec multum aprecianda per quam nemo potest facere<sup>41</sup> quod alius non possit in ipsum quicquid ipse potest in alium. Huiusmodi est potestas temporalis, quod probat duplici exemplo: uno de Busiride,<sup>42</sup> de quo beatus Augustinus libro 18 de ciuitate Dei capitulo 12 dicit sic: illo tempore,<sup>43</sup> scilicet temporibus Iosue, rex<sup>44</sup> uel potius tyrannus<sup>44</sup> Busirissuis diis suos hospites immolabat, quem filium

-----  
 35 quidam RPO quidem J / 36 atque in os RPO et mos J / 37 faciem tyranni RPO faciem et tyranni J / 38 sic frustraret O sic frustrarent RJ frustraret P / 39 qui ablata JRPeGMO quia ablata P qua ablata D / 40 prodere RPO perdere J / 41 facere RPO ferre J / 42 uno de busiride RO uno de busiridem J unus de busiride P / 43 illo tempore RPO primo tempore J / 44 rex uel potius tyrannus RD uel potius tyrannus M quod post PPe quod potius (po) tyrannus JO quod est G /

perhibent fuisse Neptuni ex matre Libya filia Epaphi, de quo  
 Ouidius Methamorphoseon libro nono loquens in persona Herculis<sup>45</sup>  
 ergo<sup>45</sup> ego fedantem<sup>45</sup> peregrino templa cuore<sup>r</sup>  
 Busiridem<sup>46</sup> domui . . .

Dicit ergo (34) ACCEPIMUS BUSIRIDEM<sup>47</sup> SOLITUM NECARE HOSPITES AB  
 HERCULE HOSPITE FUISSE MACTATUM. Aliud exemplum est de Marco  
 Regulo qui erat consul Romanus. Hic cum Peni bella gessit et  
 frequenter uincens multos eorum captiuit<sup>titauit</sup> sed tandem uictus ab eis  
 captiuus est detentus cumque, ut refert Augustinus libro primo  
 capitulo 15 de ciuitate Dei, Cartaginensēs mallent captiuos quos  
 Romani detinebant sibi reddi quam eorum captiuos detinere, cum  
 legatis suis istum Regulum miserunt pro impetranda mutacione  
 captiuorum. Prius tamen eum iuracione<sup>48</sup> constrinxerunt, quod si  
 commutacio impetrata non fuerit ipse rediret Cartaginem captiuus.  
 Qui cum uenisset Romam suavit Senatui quod commutationem non  
 faceret<sup>49</sup> quia non iudicauit utile rei publice. Post hanc uero  
 suasionem, licet compulsus non esset, tamen propter iusiurandum  
 seruandum Cartaginem rediit, quem Cartaginenses incluserunt ligno  
 angusto undique<sup>50</sup> clauis confixo acutissimis<sup>51</sup> ne in quam<sup>51</sup> partem

a\* v. 182-183

-----  
 45 ergo ego fedantem RM sic ergo fedantem D igitur ergo fedantem PeGJ  
 igitur fedantem Q ergo ego feditatem P / 46 busiridem RPO burisidem  
J / 47 busiridem RPO burisidem J / 48 eum iuracione OMD eum  
 iuramento R eum in iuracione GJ in iuracione PPe / 49 faceret JO  
 facerent RP / 50 undique RPO undequē J / 51 ne in quam JO in in  
 aliquam RP /



sine penis atrocissimis se inclinaret. Et sic stando et uigilando circumcisis eciam palpebris, ut dicitur in predicta historia Eutropii, mortuus est. Dicit ergo (36) REGULUS supple Marcus consul Romanus PLURES POENORUM id est Cartaginensium CAPTOS BELLO CONIECERAT IN VINCULA SED MOX id est cito post IPSE PREBUIT MANUS CATHENIS VICTORUM scilicet Cartaginensium. (38) ULLAMNE IGITUR PUTAS ESSE<sup>52</sup> HOMINIS POTENCIAM QUI NON POSSIT EFFICERE NE ALIUS VALEAT IN SE QUOD IPSE POTEST IN ALIOS ? quasi diceret nulla reputanda est. Deinde cum dicit (40) AD HEC<sup>53</sup> SI IPSIS probat simul de dignitatibus et potestatibus quod non habent in se aliquod<sup>54</sup> naturale bonum propter quod sint multum appreciande. Et circa<sup>55</sup> hoc duo facit. Primo probat hoc de dignitatibus et potestatibus. Secundo docet idem posse concludi de omnibus fortuitis ibi (47) QUOD QUIDEM DE CUNCTIS. Circa primum ponit talem rationem: illud quod est in se naturaliter bonum non potest adiungi pessimis quia contraria non compaciuntur se. Sed potestates et dignitates multis<sup>56</sup> pessimis euenerunt, ergo etc. Dicit ergo (40) AD HEC supple que dicta sunt addo talem rationem SI IPSIS DIGNITATIBUS AC POTESTATIBUS INESSET ALIQUID NATURALIS AC PROPRII BONI scilicet ita quod per se formaliter bona essent NUMQUAM PESSIMIS PROVENIRENT. (42) NEQUE ENIM SIBI SOLENT ADVERSA id est opposita

a. II xxv

52 esse RPO eius J / 53 hec P hoc RPO / 54 aliquod PO aliquid RJ /  
 55 circa RPO contra J / 56 multis PO multas J frequentes R /

SOCIARI; NATURA RESPUIT UT CONTRARIA QUEQUE IUNGANTUR. (44) ITA CUM DUBIUM NON SIT PESSIMOS FUNGI PLERUMQUE DIGNITATIBUS, ID ECIAM LIQUET id est patet SUI NATURA BONA NON ESSE QUE SESE PESSIMIS PACIANTUR HERERE. Nota: cum bonum dicatur dupliciter, uno modo secundum quod conuertitur cum ente, alio modo secundum quod est quedam dispositio in genere qualitatis, non accipit Boecius bonum hic primo modo sed secundo. Deinde cum dicit (47) QUOD QUIDEM docet idem posse concludi de omnibus donis Fortune. Et circa hoc tria facit. Primo ponit ad hoc rationem. Secundo cuiusdam dicti causam assignat ibi (62) CUR ITA PROVENIT. Tercio generalem conclusionem de omnibus donis Fortune ponit ibi (67) POSTREMO. Quantum ad primum potest ratio formari sic: omne naturaliter bonum efficit quod est ei proprium et depellit contrarium, sicut uidemus quod fortitudo facit fortem uelocitas uelocem et sic de aliis. Sed dona Fortune non efficiunt illud<sup>57</sup> quod est uel uidetur eis proprium. Ergo non sunt naturaliter bona. Minor probatur inductiue, quia opes non faciunt opulentum, quia non restringunt auariciam, nec potencia potentem nec dignitas dignum, ergo etc. Dicit igitur (47) QUOD scilicet modo dictum est de dignitate et potestate DIGNIUS et melius EXISTIMARI QUIDEM POTEST DE CUNCTIS MUNERIBUS FORTUNEQUE scilicet munera UBERIORA

---

-----  
57 illud RPO id J /

id est copiosiora PROVENIUNT AD QUEMQUE IMPROBISSIMUM. Et hoc probat dicens (49) DE QUIBUS scilicet muneribus Fortune ILLUD ECIAM CONSIDERANDUM PUTO scilicet <sup>58</sup> quod modo dicam QUOD NEMO DUBITAT ESSE FORTEM CUI FORTITUDINEM INESSE CONSPEXERIT<sup>59</sup> ET CUICUMQUE VELOCITAS ADEST<sup>60</sup> MANIFESTUM EST ESSE VELOCEM. (53) SIC MUSICA QUIDEM MUSICOS MEDICINA MEDICOS RETHORICA RETHORICOS FACIT. (54) AGIT ENIM NATURA CUIUSQUE REI QUOD PROPRIUM EST NEC MISCETUR EFFECTIBUS CONTRARIARUM RERUM SED ULTRO id (es) sponte DEPELLIT QUE SUNT ADVERSA. (57) ATQUI pro sed NEC OPES QUERUNT RESTRINGERE AVARICIAM INEXPLETAM NEC POTESTAS FECERIT SUI COMPOTEM QUEM VICIOSE LIBIDINES RETINENT ASTRICITUM INSOLUBILIBUS CATHENIS ET DIGNITAS COLLATA IMPROBIS<sup>61</sup> NON MODO id est non tantum modo NON EFFICIT DIGNOS SED PRODIT ET OSTENTAT<sup>62</sup> INDIGNOS quia quanto a pluribus cognoscitur tanto magis innotescit eius uicium. Quanto autem aliquis in maiori dignitate constituitur tanto a pluribus cognoscitur. <sup>63</sup> Deinde cum dicit (61) CUR ITA PROVENIT ? assignat rationem cuiusdam dicti, scilicet quare dona Fortune non efficiunt quod eis uidetur proprium (puta dignitas dignum) et

---

-----  
 58 scilicet RPO secundum J / 59 conspexerit (ex prospexerit) J  
 prospexerit RP perspexerit O / 60 adest O est RPJ / 61 improbis  
RPO retinent improbis J / 62 ostentat RPO ostendit J /  
 63 cognoscitur RPO cognoscetur J /

dicit hoc ideo est quia nos falsis nominibus appellamus res et  
 ideo uidetur eis aliquid proprium quod tamen non est sicut  
 apparet in effectu. Vocantur enim diuicie que uere diuicie non  
 sunt et potestates que uere potestates non sunt et sic de aliis.  
 Unde dicit (6<sup>1</sup>) CUR ITA PROVENIT scilicet quod dignitas non facit  
 dignum et sic de aliis et respondet (6<sup>2</sup>) GAUDETIS RES SESE ALITER  
 HABENTES supple quam uideantur<sup>64</sup> FALSIS NOMINIBUS COMPELLARE<sup>65</sup>  
 QUE<sup>66</sup> scilicet nomina REDARGUUNTUR FACILE id est faciliter EFFECTU<sup>67</sup>  
 IPSARUM RERUM; ITAQUE NEC ILLE scilicet diuicie NEC ILLA scilicet  
 potencia NEC HEC scilicet dignitas DIGNITAS IURE APPELLARI POTEST.  
 Deinde cum dicit (67) POSTREMO concludit generaliter de omnibus  
 donis Fortune quod non sunt aprecianda multum dicens POSTREMO id  
 est finaliter LICET HOC IDEM CONCLUDERE DE TOTA FORTUNA quod  
 prius conclusum est de eius partibus IN QUA scilicet Fortuna  
 NICHIL EXPETENDUM<sup>68</sup> NICHIL NATIVE BONITATIS INESSE MANIFESTUM  
 EST non enim<sup>69</sup> ex se sed ex utencium bonitate bona sunt QUE  
 scilicet Fortuna NEC SEMPER ADIUNGIT SE BONIS ET QUIBUS ADIUNCTA  
 FUERIT BONOS NON EFFICIT.

---

-----  
 64 uideantur JR uideatur PO / 65 compellare JO appellare RP /  
 66 que JO .q. R qua P / 67 effectu RPO effectum J /  
 68 expetendum (expe<sup>d</sup>) JO expediendum R expedit P / 69 non enim  
RPO non J /